

quis occurrat in vultu.  
tu dicitis quod repulisti nos: et non egre-  
ssus in virtutibus nostris. **Q**uia nobis  
retribulatio: quia vana salus ho-  
minum. **¶** **I**n dicitis faciemus virtutes: et ipse ad-  
iudicabit tribulantes nos. **Ps. 115.**  
**I**udicis deprecatione mea: intende  
vocationi mee. **¶** **F**imilis terre ad te cla-  
mavit: et non audivit: cor meum in petra re-  
spondit. **¶** **R**edivisti me quia factus es spes  
is fortitudinis a facie inimici. **¶** **I**n  
vultu tuo clamavit: et non audivit: et in  
vultu tuo clamavit: et non audivit.

et cord  
Si in  
Eccl. 1. 1. 1.



P. e. 87

T. VII, 894.

III 4/10 J. V 16

at

44

ΣΙΝ ΟΕΩ.

# Disputatio

HYPERMETAPHYSICA DE  
**MATERIA PRIMA,**  
VNDE MALVM,  
ex sententiâ  
**PLATONICORVM.**

*Quam ex unanimi amplissima facultatis Philosophica consensu in  
celeberrimâ Rostochiensi Academia sub Prasidio*

**EILHARDI LVBINI**  
Poëseos Profess: P.

*Volente & iuvante Deo publicè defendere conabitur*

**HENRICVS BIESENTHAEL**  
Megapolitanus.

*Fiet disputatio die 3. Februarij in Collegio Magno  
horâ 6. Matutinâ.*



**ROSTOCHII**

*Ex Typographiâ Christophori Reusneri,*

---

*Anno M. D. XCIX.*



VIRTUTE, ERVDITIO-  
NE, GENERE PRÆSTAN-  
TISSIMIS IUVENIBVS,

- Dn. HERMANNO NOESTIO *Westphalo,*  
Dn. IOHANNI TILINGIO *Oldeburg.*  
Dn. IVLIO BORCHOLT *Helmsted.*  
Dn. IOHANNI ZOBELIO *Bremensi,*  
Dn. IOANNI IACOBO ZWEIFEL *Wirteberg.*  
Dn. BARTOLDO SCHRADERO *Westphalo,*  
Dn. DITHMARO WACHMANNO *Bremensi,*  
Dn. IOHANNI HAGEMEISTERO *Gustrov.*  
Dn. LAVRENTIO HAGEMEISTERO *Gustrov.*  
Dn. HERMANNO STEDINGIO *Bremensi,*  
Dn. HENRICO HAKIO *Neoburg.*  
Dn. IOHANNI LVBBERS *Lubecensi.*

*Convictoribus & amicis meis  
carissimis certissimis*

*Perpetui amoris, ac  
benivolentia*

*qualecunq;  
specimen*

*Eilhardus Lubinus*



DISPUTATIO HYPERMETAPHYSICA,  
DE  
MATERIA PRIMA,  
sive  
DE PRIMA CAUSA ET ORIGINE  
MALI.

Thesis I.

**D**isputatio hæc, ut inter Philosophi-  
cas prima & princeps est, ita pul-  
cra est & ardua, & à vetustissimis  
& optimis quibusq; Philosophis,  
Mercurio Trismegisto, Platone,  
Plotino, Porphyrio, Simplicio,  
Maximo Tyrio, Theophrasto,  
& alijs accuratissimè tractata, & Zorastris, Persa-  
rum, & Manichæorum, duo Principia, duosve Deos  
æqualis essentiæ & potentiæ stautentium (unum  
BONVM Orimafem, alterum MALVM Ari-  
manium ab illis dictum) monstrosis delirijs validif-  
simè profligandis opposita.

2. Hanc disputationem variè in dictorum Phi-  
losophorum libris sparsam, multisque obscuritati-  
bus involutam, & illa quæ ad hanc materiam illu-  
strandam pertinentia, inde deduci possunt, nos in

A 2      pocas

paucas Theses contracta sobriè, breviter, & dilucidè ita proponemus, ut nihil vel dicamus, vel sentiamus, quod cum sacrosanctâ Religione Christianâ quoquo modo pugnare videatur.

3. Demonstrabimus autem **DEVM** omnia bona ex nihilo creâsse, nec ullius mali caussam dici & cogitari posse, & unum omnium illorum, quæ sunt, esse Principium, nec mali ullam essentiam aut naturam in mundo esse. Hoc enim disputationis nostræ meta erit.

4. Agemus igitur de Materiâ Primâ, ut Platonici loquuntur, hoc est, de **NON ENTE**, ex quo **DEVS** summum Ens tanquam è materiâ primâ omnia creavit, & quæ postea in creatis est prima origo, ut cum Plotino loquar, & prima quasi causa efficiens omnium malorum.

5. Quia verò hujus Materiæ primæ tanquam non Entis nullæ sunt qualitates, utpote, quæ per se, ut Plotinus ait, nec cognosci, nec cogitari potest; Contemplabimur illud ex collatione cum suo contrario **ENTE** vel **BONO**.

6. Hoc Ens vel bonum duplex; Vnum infinitum, æternum, creator, & causa efficiens omnium rerum, quod proprio idiomate Summum Bonum, **DEVM** vocamus.

7. Alterum finitum, quod antequam esset nihil fuit, in tempore incipiens, effectus illius summi Boni, quod suo Idiomate creaturam appellamus.

8. Vtrique hoc Non ens opponi considerabimus, & propriè quidem **DEO** tanquam summo Enti ab æterno, à quo illud Nihil infinito intervallo remotum.

9. Im-

9. Improprîè verò & δευτέρως ipsi creaturæ  
tanquam finito Enti & bono in tempore, quod eo  
nomine finitum est quatenus ab æterno non fuit,  
sed olim ex nihilo creatum fuit, cujus semina in se  
retinet, & in quod etjam resolvitur suâ naturâ, nisi  
Dei tanquam summi Entis, ut infra demonstrabitur,  
virtute & omnipotentiâ fulciatur.

10. Cum ergo D E V S sit Summum Bonum,  
& summum Ens entium, Summū agens; & contra-  
ria sine contrarijs nec contraria esse, nec tanquam  
contraria cognosci possint, opponimus illi Imum  
Malum, & Imum Non Ens, & quasi patiens. Liceat  
autem nobis his vocabulis ac verbis humanis uti,  
cum divina defint, minus fortè proprijs; quorum  
potissimum penuriâ in hâc materiâ laboramus.

11. Illud Summum Bonum cum Platonice  
τὸ ὑπερόντως ὄν, quod superessentialiter est, voca-  
mus; Hoc verò imum Non Ens τὸ ὄντως μὴ ὄν, quod  
verè non est appellamus, & suo proprio Idiomate  
NIHIL dicimus, idque per absentiam contrarij  
sui intelligimus.

12. Est ergò hoc Nihil absentia Entis, hoc Ma-  
lum absentia Boni, hæc materia absentia Ideæ vel  
Formæ, per quam Ideam Plato Deum intellegit;  
Vel, ut Plotinus ait, est deformitas omnium defor-  
mitatum, imus defectus, extrema omnium rerum  
indigentia.

13. Quæ Materia in se considerata, tantum  
abest ut substantia sit infinito illi Bono, cui opponi-  
tur, æqualis, ut Manichæi monstrosè dixerunt, ut  
ne finita quidem substantia sit, & ex suâ naturâ ne  
Accidens quidem & qualitas.

A 3 14. Cum

14. Cum enim huic MALO BONVM opponimus, & Bonum illud principium omnium Substantiarum & Accidentium, super substantialem Substantiam, vel Substantiam plus quam Substantiam dicimus; non intelligimus qualitatem quandam:

15. Sic cum Materiam Malum dicimus, non illud Bono opponimus tanquam Substantiam; Sic enim bonum esset. Hoc autem absurdissimum, Cum Substantia quæ Substantia, hoc est, quæ bonum quid est, Substantiæ id est bono non opponatur; & Materia prima formam etiam, vel ESSE non habeat.

16. Multo minus illi tanquam Accidens vel Qualitas opponitur. Quod quidem longè adhuc absurdus. Qualitas enim Substantiæ non opponitur. Nam & ipsum malum, ut vel maximè qualitas diceretur, nullum ante creationem rerum, subjectum habebat, cujus consideratione accidens diceretur.

17. Vnde convincitur quod malum Summo Bono opponitur, tanquam Non Ens, imus defectus, & extremum Nihil.

18. Jam illud cum creatis, hoc est, finito Bono conferemus, quod finitum bonum considerabimus intermedio quasi loco inter Summum Ens, & imum Nihil constitutum.

19. Huic Enti creato, & finito, ratione infiniti boni, (cui propriè illud non Ens opponi diximus) impropriè hoc Nihil opponi dicemus.

20. Idque eò, quod Summum Ens ex hoc Nihil



hilo non fit; utpote cui ab æterno opponitur: Res autem creatæ ex hoc Nihilo creatæ sunt. Deinde hoc nihil à Summo Ente, ab æterno infinito intervallo disjunctum est; cum ejus reliquiæ in finitis bonis in tempore creatis, reliquæ adhuc confiderentur; quibus, nisi DEI virtute fulciantur, rursus perire possunt.

21. His finitis bonis, quamvis non ita hoc Nihil opponi dixerimus, ut Summo & Infinito Bono opponitur: Nihilominus illis opponitur tanquam Non Ens, & nihil, Utpote cum, quidquid à Deo factum est, Ens factum sit, in suo genere perfectum, absolutum, & bonum, quamvis finitum bonum.

22. Hæc enim finita bona & creatæ ex Nihilo, si supra se ad summum bonum referantur, summi quidem & veri boni nomen sine impietate, ut Hermes ait, illis attribui non potest; utpote quod uni DEO debetur.

23. Si autem infra se ad Nihil referantur, Bona in suo genere, perfecta, & absoluta sunt, & nihil, vel hanc materiam primam sibi oppositam habent.

24. Opponitur autem hoc nihil ipsis creatis dupliciter, vel tanquam privans, vel tanquam negans, ut Scholastici loquuntur.

25. Negans appello, cum ne subjectum quidem amplius reliquum est; Privans autem, cum subjectum adhuc superest, quod aliquâ re bonâ privat, quæ suæ naturæ conveniebat.

26. Hoc ergo Nihil in se consideratum, est Extremum non Ens, nec Infiniti solum Boni extre-

ma absentia; sed etiam finiti creati boni extrema indigentia: hoc est substantiarum & accidentium. quamvis illud nihil, vel Malum ratione horum contrariorum Infiniti, & finiti Bonorum proprie & improprie contrarijs suis opponi supra dicamus.

27. Imò hæc Materia prima ipsis rebus, quæ bonâ quâdam re privantur, longè deterius quid. Cum privatio dicatur certi cujusdam subjecti ratione, quod reliquum est, & quatenus reliquum est, qualecunq̃ue id tandem sit, est aliquid adhuc, & à DEO adhuc tanquam bonum sustentatur, licet à suâ perfectione & bono finito desciverit, & ad nihil negativum paulatim accedat. Materia autem hæc universalis omnium rerum indigentia est.

28. Jam adfectiones utriusq̃ue contrarij ENTIS & Nihili proprias consideremus; quod ut evidentiùs fiat, res creatas, vel finita Bona quasi intermedio loco inter Ens & Nihil collocata imaginabimur.

29. Est autem utrique contrario proprium, sibi unumquodq̃ue quantum fieri potest & debet, simile facere. Et ENTI quidem ex Nihilo aliquid, ex Materiâ formã, ex tenebris lucem, ex Malo Bonum facere, quamvis finitum Bonum. NON ENTI vel NIHILO contra, &c. Vbi notandum, quod verbum facere de ENTE vel BONO proprie dicatur, cum DEVS summum sit AGENS, quod aliquid boni facit & creat. De Nihilo aut improprie, quod non aliquid facit, sed quod ipsũ quasi fit, & quò illud quod factum est corrumpitur.

30. Sicuti ergò Summum Ens est Causa omnis  
Boni

Boni in naturâ: Sic contra hoc Nihil est causa omnis mali in mundo.

31. Hoc est: Quatenus res sunt, à DEO sunt, & sunt bonæ, quatenus autem corrumpuntur, & ad defectum vel nihilum vergunt, ex Nihilo contrahunt, unde creatæ sunt, quod tunc fit, cū Summū Ens, cujus beneficio aliquid erant, & subsistebant, omnipotentem suam manum illis subtrahit, illasque ad materiam primam relabi patitur.

32. Nimirum, quia Summum illud Ens (ut inoneamur omnia olim ex Nihilo fuisse condita) in illis omnibus quæ ex Nihilo creavit, semina quasi & vestigia ipsius Nihili reliquit, hoc est, inclinationem quandam, quâ suâ naturâ in Nihilum vergunt, & ultro feruntur, nisi quatenus Summi Entis virtute fulciuntur. Motum, inquam, ad mutationem, & corruptionem, cujus unus & solus expers ipse est, in quo omnia vivunt, moventur, & existunt.

33. Hæc Nihili vestigia sunt in omnibus creatis, quæ ob id adepta sunt bonum quidem perfectum, in suo quodq; genere, sed finitum, ut quæ creatori suo, qui Bonum est infinitum, æqualia esse non possent, nec deberent.

34. Ad hæc autem Nihili vestigia (quæ indicia sunt creaturæ, & finiti boni) in Corporalibus paucis subdivisionibus perduceris. Cum corpus in Infinitum auferendo subdividi non possit.

35. Hoc enim Nihil si in Corporibus non esset, & res in Nihil subdividi non possent; nec aliquando cæpissent, nec corrumpi possent: hoc est, juxta cum Deo æterna esset omnium rerum generatio

ratio & corruptio; quæ illorum est opinio, qui mundi principium non agnoscunt. Vnde convincitur, quia res in Nihil subdividuntur, quod ex Nihilo initio creatæ sint.

36. Bonæ ergo res sunt, quatenus sunt, si essentiam spectes. Malæ sunt, quatenus non sunt, hoc est, illud non sunt, quod esse debebant, ut perfectæ essent; id est, quatenus depereunt, & de essentia & natura suâ, de Substantiâ & Accidentibus suis bonis, hoc est, de Bonitate suâ deperdunt.

37. Bonæ ergo sunt à Bono omnis Entis finiti, id est, Substantiæ & Accidentis parente; Malæ à Nihilo, quod neq; naturâ, neq; ullo jure Infinitæ Creatoris essentiæ adæquari aut potuit, aut debuit.

38. Hinc jam palpabiles Manichæorum errores promptū est cognoscere. Quæruni illi: Quis Malū fecit? quod idem, ac si dicerent: quis Nihil fecit? Cū autem Activa verba facere & creare, ad naturam & essentiam rerū verè existentium referantur; Natura autē & Substantia omnis bona sit, & ob id Ens; sequitur quod Non Ens fieri vel creari non potuerit.

39. Liquet etiam quale Accidens sit hæc Materia prima, quæ accidit non Substantijs solum, sed etiam accidentibus. Sed quomodo accidit? Nimirū cum reliqua accidētia omnia, à Summo Ente & Bono promantia suis substantijs (loquor autē de perfectis) insint tanquā bona; Hoc utrisq; & Substantijs & Accidentibus inest tanquā Malū. Cum Accidens insit subjecto tanquam Ens; Hoc Malum inest Substantijs & Accidentibus ut Non Ens. Cum reliqua accidentia substantijs variè exornandis, vestiēdis,

dis, qualificandis, &c. adesse debeant: Hoc Malum adesse non debebat, quatenus res perfectæ manere debebant, utpote quod adest Substantijs & Accidentibus bonis destruendis; quorū extrema absentia, & imus defectus est.

40. Quippe hoc Malū alterius, non sui respectu consideratur. Vt pote quod in se nihil est, nec intelligi, nec ullo modo percipi potest, Nisi quatenus cogitamus per Boni absentiam Bona abesse.

41. Non enim Malum est effectus sed defectus, non generatio sed corruptio, non habitus sed privatio, non præsentia sed absentia rerum. Ac proinde malè quæritur: unde Malum efficitur? cum potius quæri debeat: Vnde bonum deficit?

42. Verbi gratiā: Putrescit pomum, moritur homo. Pomum & homo res sunt à Deo creatæ, bonæ. Putredo autem & morbus sunt defectus, privatio, & absentia bonæ naturæ, quæ adesse debebat.

43. Longè monstrosius adhuc est hanc Materiam Primam Principium facere, & BONO, vel Ideæ in æquali potentiā opponere, ut accidētia opponuntur, calidum frigido, album nigro, humidum sicco.

44. Illorum enim contrariorū oppositorum utrumq; Bonum est, utrumq; in uno subjecto consideratur ut Ens, & supra se commune genus habet. Jam verò hæc materia Malum est, in subjecto consideratur ut Nihil, nec cū Ente opponitur, sub communi genere, quod Ens & nihil supra se nō habent.

45. Opponitur ergo Malum Bono non ut Ens. Nam quicquid præter Deum Ens est, omne à Deo, & ob id bonū est; & sic bonum Bono, ens Enti nō opponitur. Opponitur ergo ut absentia Entis, quatenus

DEO

DEO æqualis non est; imò quatenus ne quidem creato & finito Enti Substantiæ & Accidenti æqualis est, hoc est, quatenus Nihil est.

46. Quod si eatenus velint Principium appellare, quod ab illo Summè Malo, qui quidem omnis Mali auctor, corruptio fit; non secus ac à Summè Bono omnia Bona: Certè cum Malum nihil aliud sit quàm Defectus, erit ille imus defectus, hoc est ima & extrema ipsius Substantiæ infinitæ, imò finitæ, & accidentium etiam absentia; nec certè usquam est, nec cogitari potest, nedum ut sit principium. Nisi forte illud quod nihil est, & nihil producit, & quod tantum ab est, ut sit aliquid, ut ne quidem esse aliquid cogitari possit, per extremum furorè & dementiã principij nomine dignari velint.

47. Nec NIHIL hoc propriè loquendo aliquid producit, aut agit activè loquendo, (sic enim cum Deo Summo Agente aliquid commune haberet id, quod extremum patiens est) sed producitur tum, cum Summum Agens Bona à se finita condita, finita esse, & ad nihil relabi patitur, nec dexterã suã amplius sustentat. Vt Malum meritò dixerimus subductionem quasi & subtractionem radiorum Dei (ut cum Mercurio loquar) id est actionũ. Quod fanè principium vocare longè monstrosissimum.

48. Investigatã ergo caussa & origine Mali, elatã voce, inquit Simplicius, exclamemus, nullius mali Deum caussam esse: Vel, quidquid non est, & malum est, à Nihilo esse, quidquid autem est & bonum est, à Summo Ente Deo. Cui sit Gloria, Laus & Honor in æterna sæculorum sæcula.

F I N I S.

up 19 matt dag fol 20 januar 10 6. 43  
inc 18. 15

AB42 15  
18, 10

ULB Halle 3  
002 729 741  


S. 6.

WA

Rehe ✓



PER DISCREPANSIAS ADYRES ANMOS RUS  
M GRUATIONIS ET GRUATIONIS.  
MUT IN ETERNUM IN CONSPERTU DEI.  
ADIAM ET VERITATEM CUIS QUIS RE  
SIC PSALMUM DICAM NOMINI TMO  
SECUHI: UT REDAM VOTA MEA DE DIE





at

44

ZIN GER.

# Disputatio

## HYPERMETAPHYSICA DE MATERIA PRIMA, VNDE MALVM, ex sententiâ PLATONICORVM.

*Quam ex unanimi amplissima facultatis Philosophica consensu in  
celeberrimâ Rostochiensî Academiâ sub Præsidio*

EILHARDI LVBINI  
Poëseos Profess: P.

*Volente & iuvante Deo publicè defendere conabitur*

HENRICVS BIESENTHAEL  
Megapolitanus.

*Fiet disputatio die 3. Februarij in Collegio Magno  
horâ 6. Matutinâ.*



ROSTOCHII  
Ex Typographiâ Christophori Reusneri,

Anno M. D. XCIX.

